

05

A

1276





SELECTÆ
JURIS CON-
TROVERSI
Quæstiones,

Quas

Divino adspirante Numine.

*Permissu & auctoritate Nobilissima &
Amplissima Facultatis Juridicæ in celeberrimâ
Academia Ienensi*

PRÆSIDENTE

Amplissimo, Consultissimoq; Viro,

Dn. ORTOLPHO FOMANNO, U. J. D.
Pandect. Professore publico, Judicij ac Sca-
binatus Adfessore, & Facultatis Juridicæ
p. t. Decano, Præceptore omni ani-
mi cultu honorando.

*Publici exercitii grâtiâ pro ingenii modulo
defendendas suscipiet*

M. CHRISTOPHORUS SCHVVARTZIUS
Junior.

Ad Cal. Febr. in acroasi Ictorum.

J E N Æ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI,
ANNO CHRISTI 1605.



05 A 1276



Aliquot controversas quæstiones discutiendas & examinandas propositurus, in acie & veluti primo loco hanc haud inconvenienter colloco.

I.



Utm patria potestas rectè Juri civili adscribatur, ab Imp. Justin. in §. 2. *Instit. de patr. pot.* Adfirmativam sententiam magno ad sensu receptam defendere non dubito.

Treutl. vol. 1. Disp. 15. thes. 8. Lit. B. Vult. 1. Juripr. Rom. cap. 17. num. 41. & in prin. Inst. de patr. pot. Ræverhardus ad LL. 12. Tabb. cap. 4. Dissent. præcipuè Bod. 1. de Repub. cap. 4. Conan. 2. Comment. jur. Civil. 13. n. 2.

2. In dubium vocatur quæstio illa: An patria potestas dissolvatur matrimonio? Negantibus suffragium adijcio.

1. *Arg. l. patri. 20. D. ad L. Iul. de adult. 2. Quia à Justin. non est relatum inter modos dissolvendi patriam potest. Schneid. in §. sed etsi pater 8. num. 4. 5. 6. 7. Inst. Quib. mod. patr. pot. sol v. ubi ad contraria satis eleganter respondet D. Arum. disp. Instit. 2. th. 24.*

3. Non min9 utilis quàm elegans quæstio hæc est: Utrū secundæ, tertix, quartæ, & ulteriores nuptiæ adprobentur?

Nil impedit quò minus adfirmativam statuentibus ad stipuler. Quia hanc sententiam luculenter confirmat D. Apostolus Paulus. 1. Corinth. 7. ubi habetur, quod mulier mortuo viro suo, ab eius lege soluta sit, atq; nubendi, cui vult, tantùm in Domino potestatem habeat. Quod repetitur in cap ult. ext. de secundis Nupt. Melius enim est nubere quàm uri. Paull. cap. 7. idem Apost. 1. ad Timoth. 5. vers. 12. iubet iuniores viduas nubere, liberos

gignere, domum administrare, ne adversarijs maledicendi occasionem præbeant. Et huius doctrina Apostolica, evidens exemplum habemus in Abrahamo, qui mortuâ Sarâ, Kethuram duxit. Gen. 25. vers. 1. Et Abigael mortuo Nabel, nupsit Davidi. 1. Samuel. 25. vers. 42. Nec iure Pontificio prohibita & improbatæ fuerunt repetita nuptiæ. c. aperiant. 11. cum seq. caus. 31. q. 1. & cap. penult. & ult. de secund. Nupt. Vide Eberh. Speckh. de hac quæst. eruditè differentem cent. 2. q. 1. Class. 2. ubi & ab hac nostrâ sententiâ graviter dissidentes percensentur ac refutantur.

4. Satis frequens ac protrita quæstio sese offert: Si quis comptessam & stupratam ab alio pro virgine duxerit, an retinere cogatur? In negantium castra transeo.

L. ex empt. 11. §. si quis virginem. D. Act. Emp. & Vend. Leo Imp. in Novel. 39. benè ac disertè hoc comprobat. Dein talia matrimonia posse rescindi, sacra testantur literæ, Deut. 22. v. 21. ubi mulier corrupta, quæ virginem se mentitur, & pro virgine se venditat, lapidationis pœnâ post copulam, atq; adultera ipsa punitur. Et Solom. c. 18. vers. 32. Matth. c. 5. Vide Bezam in tract. de divort. pag. (mibi) 77. Kling. de matrim. pag. 14. Dn. Arumæ. Disp. Instin. 2. th. 15. Dissentit Wesenb. in parat. D. de ritu nupt. num. 8. Forst. disp. Inst. 3. q. 23.

5. Quæritur num spurio hærede scripto, frater habeat querelam inofficiosi?

Distinguo inter spurium re & vitâ honestâ, & inter eum qui talis non est. Illo casu nego, hoc adfirmo. Vide Forst. disp. Instin. 13. quæst. 20. Hinc colligi potest, quòd spurius de jure non sit infamis. 1. Quia præter culpam nihil cuiq; est præstandum. Vbi enim nulla culpa subest, ibi & nullus pœna locus relictus esse potest. l. 131. D. de V. S. L. sancimus. C. de pœn. 2. Crimen paternum nullam maculam filio infligere potest: nam unusquisq; ex suo admissio sorti subijcitur, nec alieni criminis successor constituitur. l. crimen 26. D. pœn. 3. Ex adulterio & damnato
coitu

coitu nasci, culpa non est eius qui nascitur, sed eius qui generat.
c. nasci, 56. dist.

6. In quaestionem vocatur; An curator uxori datus, etiam extra territorium constitutus intelligatur? A.

Tiraquell. in LL. Connub. gl. 8. q. 26. nu. 216. usq. ad num. 226. Trentl. Vol. 1. disp. 9. th. 6. Lit. A.

7. Vulgata quidem, at multis disceptationum involucris sat implicata quaestio agitur: Utrum Testamenti factio sit juris civilis; an verò juris Gentium? prioris opinionis defensionem inhæreo.

1. Quia testamenti factio est iuris publici non privati, l. 3. D. Qui test. fac. poss. jus autem Publ. est pars iur. civ. Rom. siquidem non omnium gentium ius, sed civile duntaxat Rom. partim est publ. partim privat. Etenim ea sola publica dicuntur, quæ Pop. Rom sunt. L. Bona 15. D. de S. V. 2. Arguit hoc vetus illa lex 12. Tabb. Vti quisq. suæ rei legasset, ita ius esto. l. 120. D. V. S. l. 1. D. ad. L. Falc. 3. Confirmat hoc Imp. Iust. auctoritas in l. 35. in prin. C. de inoff. ubi expressè dicitur, totam observationem testamentorum multis vigiliis à Princip. Rom. prædecessoribus suis inventam esse. 4. Hoc ipsum probat forma testamenti & solemnitas, quæ ex jur. Civ. dimanat, quippe septem testium numerus, eorum rogatio, ac unus idemq. tenor contextusq. temporis: Forma autem teste Philosopho, dat esse rei, & rem ipsam constituit atq. perficit.

8. Indubitati juris est, mulierem in testamento, testem esse non posse. (a) Hinc autem venusta pullulascit quaestio, an in codicillis foeminae testes existere queant? A. (b)

(a) L. qui testamento. 20. §. mulier. 6. D. Qui testam. fac. possunt. §. testes. 6. Instit. de test. ordin. Ratio est, quia foemina ius Comitiorum, unde & testamenta fluxerunt, non habuerunt, neq. vicem Pop. Rom. in concilium convocati representare potuerunt. Agell. lib. 5, cap. 19. Huic enim negotio viri ad-

A 5

hibentur:

hibentur: sicut & alia munera civilia, publiciq; Juris (quo testam. pertinet, ut liquet ex l. 3. D. qui testam. fac. possunt.) Virorum sunt, non mulierum. l. 2. D. de R. I. (b) per L. fin. C. de Codicil. ubi non opus est rogatione testium, tunc mulieres testes esse queunt, per ea quae deducit Hotom. 3 obs. 14. Donell. 7. Comment. 19. Bartolus in l. fin. ibiq; Iason num. 17. Cod. de Codicill. Specul. in tit. de Testam. num. 83. Forsterus Disp. Inst. 14. q. ult. Diss. Cuiacius in l. Qui testament. D. Qui test. fac. poss. Dec. in l. 2. D. de R. I. num. 28. Treutl. Vol. 2. disp. 5. th. 8. Lit. E.

9. De eo non parum controvertitur; An sicut propter adulterium mulier amittit dotem: (a) ita quoq; ob osculum amittere hanc debeat? (b) Neutiquam.

(a) l. 8. §. 4. C. de repud. l. 11. §. 3. D. ad L. Iul. de adult. Nov. 117. cap. 8. Menoch. 2. arb. iud. q. 287. (b) Bald. in c. tua extra de procur. putavit mulierem ob osculum quoq; amittere dotem: Sed haec Baldi opinio recte improbatur Decio in rubr. ext. de iudic. quem & alij postea secuti sunt. Nec enim poena, quam delicto consummato Lex imponit, ad adtentationem producenda est: quando quidem consilium alicuius rei habuisse non noceat, nisi & factum subsequutum sit. l. saepe 53. in fin. D. de V. S. & potest osculum etiam citra stupri desiderium concedi: Sic etiam elegans ac formosa puella apud Theocritum, osculo accepto insidiantem sibi amatorem affatur:

Ne Satyrisce time, rem aiunt esse oscula inanem,
Et facie abluta, tolluntur & oscula sputo.

Lexq; eam duntaxat dote mulctet, quae adulterij causa interdicta adtentarit. d. l. 8. §. vir quoq; iuncta l. ult. §. fin. de repud. ubi praeter causas ibi enumeratas, nihil ad dotis amissionem validum esse, disertè dicitur. Cum itaq; in relata constitut. osculum tanquam legitima causa dotis amittenda non reperiat: consequens erit pro legitimâ id nequaquam esse censendum: quod
potissi

potissimum est Menochij argumentum supra dicto loco. Proinde etiam Hieronymo Cagnolo dubia videtur hæc Baldi conclusio in rubr. C. de edend. num. 31. cum seqq. Nec enim verè adulterij rea dici potest fœminâ ex sola suspitione, quam ex osculi impressione coniectare ac præsumere quis posset: sed & alia quidem urgentia indicia accedant oportet, adeò ut quandoq; etiam Lex velit, uxorem cum adultero in ipsâ turpitudine, velut Pompeius ait, in ipsis rebus Venereis, & ut Solon & Draco dicebant ἐν ἔργῳ fuisse deprehensam L. quod ait. l. 23. D. ad L. Iul. de adult.

10. Quæritur an pœna strangulationis, quâ hodie fures adficiuntur, sit justitiæ & æquitati consona. A.

Propter delicti huius frequentiam, quâ Reipub. salus ad cuius conservationem omnes leges referendæ sunt, nimmî ladi videbatur, Crecentibus delictis, exasperandæ sunt pœnæ. l. 16. D. de pœnis. Namq; Claudius Saturninus Legibus permissum esse tradidit, ut constituta maleficiorum supplicia in aliorum terrorem exacerbarentur, si quando nimmium grassantibus exemplo opus sit. L. aut facta 16. § evenit. D. de pœn. Moll. 1. Semestr. 37. num. 5. 6. & 7. Ves. in Parat. D. de furtis. num. fin. Trentl. vol. 2. disp. 30. th. 3 L. G. Phil. Mel. in loco de Magist. Dissentit Zepperus in Explanatione suâ legum forensium nuper editâ lib. 1. cap. 12. Anton Matth. in disp. extraord. de pœnâ furti.

11. Non ineleganter quæritur, An pœna ultimo supplicio damnatorum differri ac suspendi possit? Adfirmativam ambabus (quod aiunt) manibus amplexor.

Iudices suâ sententiâ constitutam & dictam capitalem pœnam statim sine morâ exequi debent. l. cum reis. 18. C. de pœn. quia nec mutare nec revocare pœnam suâ sententiâ dictam ullo modo queunt. l. pœn. 15. C. d. t. Hæc limitantur. 1. in muliere pregnante damnatâ. l. pregnant. 3. D. de pœn. l. Imp. 18. D. de stat. hom. Paull. lib. 1. sentent. tit. 12. Quintil. declam. 277. Supplicia, inquit, pregnantium lex differri in diem partus iubet. Ael. lib. 5. var. hist.

hist. & Plut. in lib. de serâ numinis vindicta. Limitatur Imitatur. 2. in seruo, qui actum rerum dominicarum gessit. Hic enim capitis crimine damnatus, tam diu adseruandus est, eiusq; presentia potestas domino prestanda, quò ad rationes per eum administrata reddantur, & disponantur. l. 1. C. de bon. proscript. Caterum in l. 20. C. de pœnis, quod cavetur, ut pœna eorum, quos Princeps iussit adfici ultimo supplicio, differatur in 30. diem, speciale est in Principe. Ratio diversitatis est, quia Princeps solus pœnam suâ sententiâ dictam revocare potest, & adhibetâ modica dilatione, sæpè fit, ut flectatur Princeps, & commutet pœnam, sicuti de ipso Theodosio auctore d. l. 20. C. d. t. scribit Auzelius Victor, quod ab eo aliquando severè præcepta modicâ dilatione emolliabantur. Ac congruit maximè Principi, qui quid præcepit severius illud Seneca in Agamem. Da tempus ac spacium tibi. Quod ratio nequit, sæpè sanavit mora. At verò reliqui iudices frustra differunt pœnam suâ sententiâ dictam, quia nec mutare, nec revocare eâ queunt, nisi ad rescriptu scriptum Principis d. l. pœn. 15. C. de pœn. Divi fratres 27. in prin. D. eodem l. 1. in D. de quæst. l. moris. 9. §. ista ferè sunt pœna. 11. D. de pœn. l. acta. 45. §. 1. l. quod iussit. 14. D. de re iud. D. August. in lib. de Fato. Iudicibus, inquit, statutum est ne liceat in reum datam sententiam revocare. Num quid & ipse Imper. Sub hac lege erit? Nam ipsi soli licet revocare sententiam, & reum mortis absolvere, & illi ignoscere.

12. An custos carceris ex fuga carcerati regulariter eadem panâ, quâ erat puniendus fugiens carceratus, plectatur? In adfir. sent. propendo.

Per L. commentariensem. 4. C. de cust. reor. ubi expresse dicitur, quòd si reus elapsus fuerit, ipse custos carceris eandem pœnam subire teneatur, quam qui fugit, esset subiturus.

13. Vehementer & acriter disceptatur, num legitimatus per subsequens matrimonium succedat in Feudis?

Negati.

*Negativam statuentibus accedo. per § Natur 2. Feud. 28.
Vult. lib. 1. Feud. c. 94. Hotom Cons 10 vol. 1. Niell. disp Feud.
5 th. 7. liz. D. Dissent. Geil. 2. obser. 241. num. 2. Myns Cent.
5. Obs. 42. Schneid. de Feud. p. 6. num. 10. Borch. de Feud. cap.
7. in 2. modo acquirendi feudum num. 48.*

14. Vulgata & multum agitata quaestio huiusmodi est:
Num Feuda etiam dicuntur hereditaria? Negativ. m tueri
collibitum est.

1. Quoniam Feudum non debetur iure hereditario, in prin.
de success. 1. F. 8. 2. Quoniam nihil ea de re legimus in Feudis
cautum. 3. Hartm. Pistor. p. 1. quaest. 1. n. 62 Rosenthal. in synopsis.
Feud. c. 7. concl. 23. Dissent. Dec. cons. 390. num. 5. Isernia,
Bald. & alii in c. 1. de succ. Feud.



PROBLEMATATA politica.

I.

Utrum expediat bonos Consiliarios & malum
Principem habere, an verò contra?

Rem veritatis statera trutinans, priorem opinionem
adipio. Si posterius concederetur, tum necessum foret,
ut cuncta & universa à solo Principe penderent, verum hoc
è dūvarore est. Nam princeps (ut inquit Tacitus lib. 3. Annal.)

B

non

non potest cuncta sua scientia complecti; quia unius mens (ut idem lib. 1. Annal. refert) tanta molis capax non est. Principem non usq; adeo coecare debet propria sapientiae opinio, ut alienam prorsus aspernetur. Hinc Tit. Liv. verè ait: Eum (inqui) qui de sua unius sententia omnia gerit, superbum iudico magis quam sapientem. Neq; illi tantum aliena consilia spernenda sunt: verum etiam danda est opera, ut omni deposita pertinacia proprio iudicio diffusus, aliorum sententiae, ubi opus erit, libenter accedat. Antimach. theor. 1. l. 1. pag. (mibi) 32. de Reg. Administ.

II.

In disceptationem vocatur; Utrum hebetiores, an acutiores melius Rempub. administrent? Prius verius adseverari posse existumo.

Est quoddam genus hominum agile, callidum, igneum & subtile, qui naturali quapiam sagacitate omnium mortalium cogitationes, actiones & eventus rerum futurarum perquirere ac perlentire student: his ut plurimum Reges ac Principes praeterim curiosi ac juveniliter ambitiosi delectantur, qui praeclearum putant, si aut pervertere consilia aliorum, aut verlutia sua quempiam irretire possint. Quod quantum cum pernicie Principum fiat, verbis exprimi vix potest. Etenim nulli alij homines magis falluntur, & errant in consultando, quam acres & tubules illi, dum plerumq; ea sibi fingunt futura, quae nec facta antea sunt, nec cogitata ab alijs: certum est ægerrimè expediri, & non nisi magna difficultate eiusmodi consilia in rem deduci posse. Et verum est, quod Thucyd. lib. 3. docet, *Hebetiores quam acutiores ut plurimum melius Rempubl. administrare.* Vide Iohann. Baptist. Lenccium in Obler. pol. obs. 220. Lips. lib. 3. pol. cap. 3.

*In quaestionem adducitur, Utrum amari quam
metui à Magistratu melius?*

Prius magis necessarium ad salutem Reipubl. esse videtur. Notissimum enim ac verissimum est illud Laerij. *Necesse est multos timeat, quem multi timent, Nam qui metuunt nec amant, hoc unum student, ut quem metuunt, oderunt.* Semper enim metus, metu quaeritur, potest huius dii causam? ea sane est, quam Ovidius refert: *Quia quem metuit, quisque perire cupit:* Vide Lips. l. 4. pol. cap. 11. Ut igitur metus periculotus: sic contra Principis amore erga subditos est salutare propugnaculum, & ut ille fugiendus, ita omnibus modis hic captandus, teste Reinhard. Lorichio in libel. de Inst. Princip. fol. (mih) 78. Verum itaque est illud, quod Seneca habet in lib. 1. de Clement. *Vnum est, inquit, inexpugnabile munimentum, amor civium.* Quid pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis.

IV.

*Quaestio non inconcinna agitatur: Utrum
bellum Turcicum continuare? an verò foedus pacis
cum Imperatore Turcico in re praestet?*

Nulla salus bello pacem te poscimus omnes. Gerimus bella, inquit Cicero, *pacem ut consequamur.* Et in hac quaestione, illud probare tanquam patriæ nostræ magis salutare; hoc verò tanquam magis noxium ac pestiferum reprobare & rejicere operæ precium facturus videor. Huius adtertionis rationem mihi suggerit Livius, *Nulla, inquit, magna civitas*
B 2 *diu qui-*

diu quiescere potest, si foris hostem non habet, domi invenit. Neque enim ulla regio, nec civitas tam fortunata, cuius paci ab aliquibus non invidetur. Quare tutum est bellum Turcicum continuare ne cives & conterranei foris securi, domi ex nimio otio, in luxuriam, superbiam & ambitionem ruendo, & mutuo disidio si quando simultatibus primum, dein factionibus, postremo magnis ac perniciosis tumultibus Respubl. & Patriam concitent atque perturbent: quod pulso olim Xerxe Græcis Cartagine delectâ Romanis accidisse scimus. Vide Baptist. Lenc. in obs. pol. obs. 70. Ex prædictis hinc, ut colophonem addam, colligere & concludere licet, quod res militaris etiam pacis tempore exerceri debeat,

F I N I S.



05 A 1276


ULB Halle 3
003 780 49X


1077

64







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



T Æ
 CON-
 RSI
 ,
 umine.
 Nobilissima Et
 e in celeberrimâ
 nsi
 T E
 moq; Viro,
 NNO, u. J. D.
 Judicij ac Sca-
 tatis Juridicæ
 e omni ani-
 ndo.
 ingenii modulo
 diet
 VVARTZIUS
 ICTorum.
 Æ
 NMANNI,
 1605.